

constat, isque etiam in aliis suis scriptis et operibus nomina propria hebraea scripserit, prout nostra vulgata latina et septuaginta interpretes eadem exprimunt, plane culpandi non sumus, dum illa nomina propria iuxta consuetudinem septuaginta interpretum, et nostrae vulgatae seu ipsius s. *Hieronymi* scribimus et pronuntiamus.

43. ARGUM. II. Negari nequit, quod in nominum propriorum pronuntiatione septuaginta interpretes, et nostra vulgata multum discrepent a textu hebraeo, praesertim punctis vocalibus massorethicis hodie instructo: ergo vel massorethae (1) errarunt, vel septuaginta interpretes et nostra vulgata latina. R. Conc. ant. neg. cons. Nam septuaginta interpretes, et interpres latinus nomina propria originaliter graecis et latinis auribus, quantum potuere, accommodarunt. Quapropter non solum ultimas syllabas graeca aut latina terminatione saepius donarunt: verum etiam ceteras, quantum per earum naturam licuit, mollire conati sunt, addendo, vel omittendo, aut mutando vocales aut consonantes. Ex nominibus itaque propriis aliter ab hebraeis, et aliter a graecis vel latinis scribi ac pronuntiaris solitis nec adversus septuaginta interpretes, et vulgatam latinam, nec adversus massoretharum punctationem firmum colligi potest argumentum. Massorethae enim nomina illa, prout ab hebraeis semper pronuntiatia sunt, et pro linguae hebraeae, ex qua deducuntur, indole, punctis

(1) *Massora* vox hebraea, traditionem significans, derivatur ex verbo hebraeo *Masar*, quod tradere significat. Doctores hebraeorum *Massorethae* dicti sunt, qui lectionem sacri textus s. Scripturae determinarunt, additis punctis vocalibus in-

vocalibus instruxerunt, septuaginta vero interpretes et interpres latinus (nempe s. *Hieronymus*), cuius versionem latinam vulgata nostra continet, plerumque nomina hebraea iuxta consuetudinem graecae vel latinae linguae, ut par erat, inflectebant.

At INQUIES: Hoc ipso quod illa nomina in textu graeco aut latino aliter terminentur et pronuntiantur, quam in hebraeo incorrupto, evidens signum est, quod in graeco et latino vitata sint. R. Nego hoc illatum. Nam non sunt vitata, sed prudenti consilio immutata, ut ex dictis abunde constat. Accedit quod haec mutatio seu inflexio graeca vel latina nominum originaliter hebraeorum plurimum inserviat ad maiorem casuum cognitionem, ut iam supra (2) observavimus. Denique omnia hac de re hucusque dicta confirmo hac paritate; si quis v. g. dialogum inter Petrum, Ioannem et Georgium habitum ac germanico idiomate conscriptum in linguam latinam verteret, retenta nominum propriorum terminatione germanica, et e. g. sic verteret: *Peter ad Iohannem et Georgium dicebat* etc., male ageret, et cachinnos contra se excitaret. Debuisset enim nomina propria iuxta morem linguae latinae terminare hoc modo: *Petrus ad Ioannem et Georgium dicebat*: sic a pari nomina propria originaliter hebraea in versione graeca aut latina iuxta morem graecae aut latinae linguae inflectenda et terminanda sunt.

dicantibus, quomodo textus ex antiqua patrum traditione legi debeat. Unde illis nomen *Massorethae*, eorumque operi *Massora*, sive traditio inditum. Vide *Calmeti* dictionar. biblic. v. *Massora*.

(2) Num. 38, probat. 1 ex auctoritate.

SECTIO III.

DE LIBRO RUTH

Liber *Ruth* dicitur quia, licet in eo etiam *Booz* et *Noëmi*, ac aliorum gesta contineantur; quae tamen de *Ruth* (cuius adversam primum, deinde secundam fortunam exponit) referuntur, plura sunt, mirabiliora, et mysteriorum plena. Aliqui huius libri auctorem faciunt *Ezechiam* regem, alii *Esdras*, alii *Samuelem*, quae ultima opinio plures habet patronos, et verior videtur; tum quia *Samuel* sub hoc tempus vixit, tum quia ipse librum primum Regum conscripsit, ad quem, ut mox videbimus, liber *Ruth* viam sternit.

44. QUÆRES I. Cur liber *Ruth* medius ponitur inter librum *Iudicum*, et quatuor libros *Regum*? R. cum *Cornelio a Lap.* (1) hoc ideo fieri, quia libellus *Ruth* est appendix libri *Iudicum*, et manu ductio ad libros *Regum*. Ac in primis est appendix libri *Iudicum*, non ratione materiae, quasi ad publicam *Iudicum*, vel populi israelitici sub iudicibus historiam quidquam faceret (exponit enim ferme ea duntaxat, quae privatim in *Booz* aedibus et familia gesta sunt), sed ratione temporis, quia *Iudicum* aetate historia *Ruth* contigit, ut legimus in principio huius libri (2): *In diebus unius iudicis, quando iudices praeerant, facta est fames in terra*. Hoc itaque sensu liber *Ruth* est appendix libri *Iudicum*: unde et ab hebraeis illi annectitur. Sed etiam est praeludium et quasi manu ductio ad

libros *Regum*; quia *Davidis* genealogiam et originem cap. ultimo recenset, adeoque historiae regni *Davidici*, et regum ab eo descendentium veluti praeludit.

45. QUÆRES II. Cur *Elimelech* (*Ruth* c. 1, v. 1) dicitur fuisse de *Bethlehem Iuda*, cum eius filii (ibid. v. 2) appellentur *Ephrathaei*, quasi ex tribu *Ephraim*? R. Equidem nomen *Ephrathaei* quandoque in Scriptura usurpatur ad innuendum virum quempiam ex tribu *Ephraim* (3); sed hic significat hominem e *Bethlehem Iuda*. Vetus enim nomen civitatis *Bethlehem* erat *Ephrata* (4), et hoc nomine etiam apud *Michaeam* (5) nuncupatur. Imo id ipsum clare indicatur in obiecto loco Scripturae (nimirum *Ruth* c. 1, v. 2). Nam ibi expresse dicitur: *Duo filii (Elimelechi) alter Mahalon, et alter Chelion, Ephrathaei de Bethlehem Iuda*. Scriptura enim plerumque eam *Bethlehem Iuda* vocat, ad distinctionem alterius *Bethlehem* in tribu *Zabulon* (6).

46. QUÆRES III. An filii *Elimelechi*, natione iudaei licite acceperint (*Ruth* c. 1, v. 4 et 15) uxores moabitides? 2. Eadem quaestio redit: An *Booz* (*Ruth* c. 4, v. 13) licite nupserit *Ruth moabitidi*, cum tamen prohibitum fuerit hebraeis, ne uxorem moabitidem ducerent, iuxta illud (*Deut.* 23, v. 3). AMMONITES ET MOABITES ETIAM POST DECIMAM GENERATIONEM NON INTRABUNT ECCLESIAM

(1) Praefat. in l. *Ruth*.

(2) *Ruth*. c. 1, v. 1.

(3) *Iud.* c. 12, v. 5; et I. *Reg.* c. 1, v. 1; et III. *Reg.* c. 11, v. 26.

(4) *Genes.* c. 35, v. 19; et c. 48, v. 7.

(5) *Cap.* 5, v. 2, ubi dicitur: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda*.

(6) *Iosue*, c. 19, v. 15. Vide etiam *Calmeti* dictionar. biblic., v. *Bethlehem*.

DOMINI IN AETERNUM? R. Cum *Ruperto Tuitiensi*, filios illos *Elimelechi* prae nimia fame in regionem moabitidem peregrinatos, non lege, sed necessitate excusatos esse a peccato. Iuvenes erant: aetatis fervor prolisque amor coniugium suadebant: in peregrina autem terra sponsae israeliticae nullae, sed solae moabitides. Praeterea sperare poterant, successu temporis has ad iudaicam religionem conversum iri, quo casu (si nimirum mulier alienigena convertebatur ad veram, seu iudaicam religionem) licebat hebraeis alienigenas ducere. Tunc enim cessabat ratio legis prohibitive, nempe perversionis periculum. Unde (1) expresse permittitur hebraeis, ut, si e captis in bello mulieribus alienigenis cernerent aliquam, quacum matrimonium inire vellent, fierent caeremoniae quaedam quae erant abiuratio publica prioris falsae religionis foeminae illius paratae, ut ponitur, transire ad religionem iudaicam: et sic acciperent illam. Accedit, quod etiamsi pars alienigena non fuerit conversa ad religionem iudaicam, tamen licebat cum illa inire matrimonium in casu raro contingente (2), si scilicet nullum fuit morale periculum seductionis. Tunc enim iterum cessabat ratio praecipua legis prohibitive. Unde sicut ex. gr. *Esther* hac de causa licite iniiit matrimonium cum *Assuero*, ita duo filii *E-*

(1) Deut. c. 21, v. 11, 12, 15.

(2) Dixi: in casu raro contingente. Ordinarie enim et generatim loquendo, respectu hebraeorum in idololatriam tantopere propensorum (si paucos excipias) proximum erat seductionis periculum, si ipsis communiter licuisset inire matrimonium cum alienigenis, prout constat ex scelerato consilio, quod *Balaam* dedit regi *Bala*, atque ex infelici effectu illius (Num. c. 24, v. 14, etc.; et c. 25, v. 5 et 9.) Unde lex (III. Reg. c. 11, v. 2) generaliter prohibebat illa connubia, cum

limelechi (videlicet *Mahalon* et *Chelion*) eadem de causa licite acceperunt duas uxores moabitidas *Orpham* et *Ruth*, quarum ultima tam parum erat infesta religioni iudaicae, ut eam postea defuncto suo marito *Mahalone* (3) professsa sit, ad *Noëmi* socrum suam dicens (4): *Populus tuus, populus meus; Deus tuus, Deus meus*: *Orpha* vero, quamvis idolorum cultum numquam deseruerit, tamen tam bonam et docilem indolem habuit, ut marito suo *Chelione* pariter mortuo exulare a patria, et cum paupere socru sua *Noëmi* in *Bethlehem* migrare voluerit, et migrasset, nisi ab hac ad remanendum fuisset persuasa (5). Itaque duo illi *Elimelechi* filii licite poterant has moabitides ducere, praesertim in regione, in qua, ut supra dixi, nullam hebraeam poterant nancisci. Addit tamen *Calmet* (6) merito aliquam limitationem, et dicit, illos nihilominus non debuisse hoc matrimonium contrahere, nisi postquam religionis veri Dei rudimenta memoratis uxoribus tradidissent, easque impulissent, quantum in ipsis erat, ut inanes superstitiones suas desererent.

Hinc facilis iam est responsio ad alterum, nempe de matrimonio *Booz* cum *Rutha*. Licite enim id *Booz* iniiit; quia *Ruth* iam erat proselyta et conversa ad iudaismum (7). Praeterea lex illa (Deut. 23, v. 3): *Moabites - non intrabit ecclesiam*

illa emphasi: *Certissime enim avertent corda vestra*.

(3) Ruth c. 4, v. 10, ipse *Booz*, appellat *Ruth* moabitidem uxorem *Mahalonis*, iam defuncti.

(4) Ruth c. 1, v. 16.

(5) Ibid. v. 8-15.

(6) Commentar. in Ruth. c. 1, v. 4.

(7) Hoc colligitur ex verbis *Ruthae* ad *Noëmi* socrum suam (Ruth, c. 1, v. 16), paulo ante citatis: *Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus*.

Dei in aeternum, non de foeminis, sed de solis viris intelligenda est. Solorum enim virorum, inquit *Augustinus* (1) (pro sua sententia citans I. Numerorum 22, v. 5), culpa fuerat, ob quam poena ista moabitis inflicta esset. Aliam adhuc causam, cur haec lex de solis viris statuta sit, affert *Abulensis* (2) dicens: Nolebat Deus moabitis concedere hunc honorem, quod aliqui de progenie eorum essent pars populi hebraei, et per hoc intrarent in ecclesiam Dei: atqui hoc fuissent consecuti, si moabitae ad iudaismum conversi potuissent accipere uxores de israelitis; quia filius de progenie patris est. Vicissim, si mulieres moabitides acciperentur ab israelitis in uxores, istud non sequitur; quia filii non nominantur de stirpe matrum, sed patrum: imo sic nunquam moabitae intrarent ecclesiam Dei; quia filii mulierum moabitidarum non erant moabitae, sed iudaei, cum patres illorum essent iudaei: filii autem virorum moabitarum erant moabitae, etsi matres illorum essent hebraeae.

47. QUÆRES IV. *An ab suo in Iudaeam comitatu Ruth et Orpham dehortando* (Ruth 1, v. 8, etc.), *non peccarit Noëmi?* R. Equidem peccasse videtur *Noëmi*. I. Quia ex idololatratico illas exire loco bonum erat. II. Quia eas iubet in falsorum Deorum tenebris perstare, neque a vana desciscere superstitione. Nam de reditu non in Moabitidem modo, sed ad Deos etiam locutam fuisse *Noëmi*, cum ad *Ruth* et *Orpham* diceret (v. 8, 11 et 12): *Revertimini* patere videtur ex eo, quod (v. 15), *Orpham* ait, non ad suum tantummodo *populum*, sed ad Deos etiam suos revertisse. Deinde cum hoc ipsum dixisset, diserte ipsi *Ruth*

(1) In Deuter. q. 55.

(2) Commentar. in I. Ruth, c. 4, q. 76.

praecipit, *vade cum ea*, hoc est ipsam sequere. Fac, quod fecit illa. Illa vero non ad *populum* modo suum reversa est, sed ad Deos etiam. Revertere igitur et tu, non ad illum modo, sed ad istos etiam. III. *Noëmi* his monitis magnam *Ruthae* et *Orphae* ad Deum verum sese convertendi occasionem eripuit. In *Iudaea* enim tanquam terra divino dedita cultui, inter viros bonos, inter foeminas Deum timentes habitare, magna hominibus non omnino sceleratis illecebra erat.

His omnibus tamen insuperhabitis illa in dehortatione a *Noëmi* facta, culpam abesse iudicant *Abulensis* (3), *Serarius* (4), et alii interpretes ex sequentibus rationibus. Quidquid a *Noëmi* dictum est, ad duo revocari potest capita. Unum est urbanitatis, alterum religionis. URBANITATIS erat, non sinere ut *Ruth* et *Orpha*, sua unius (id est, *Noëmi*) causa, e patria, a parentibus, ab amicis et notis in alienam terram (nimirum in *Iudaeam*) ad alienos et ignotos emigrarent, sicque pauperiem, variosque casus qui peregrinantes et inopes comitari assolent, subire cogentur. RELIGIONIS, aut religiosae certe sapientiae erat, praecavere, ne geminae illae foeminae moabitides, si in *Iudaeam* deducerentur, ethnica superstitione sua scandalo sint aliis, aut, si ibidem ad veram religionem converterentur, sed ex inconstantia animi, aut ob occurrentes et non satis praevisas in lege mosaica servanda difficultates iterum a fide deficerent, religioni iudaicae, ipsique *Noëmi* dedecus pariant. Hinc eadem *Noëmi* voluit earum experiri constantiam, proponendo ipsis motiva suadentia, ut in regionem *Moabitidem* redeant. Cognita autem *Ruth* voluntate con-

(3) Comment. in I. Ruth c. 1, q. 17.

(4) In I. Ruth c. 1, q. 25.

stanti, huic non amplius suasit, ut in patriam suam redeat (1). Unde rabbi *Abahu*, aliique rabbini, teste *Serario* (2), ex hoc *Noëmi* facto probant, sollicitè discutiendos proselytorum, antequam ad sacra, Deique gentem admittantur, animos. Imo videmus in christianae quoque religionis aditu ea, quae illius difficilima sunt catechumenis proponi, ut etiam atque etiam expendant, num servare illa velint. Verbi causa, an abiurare satanam, mundum, eius pompas et illecebras? An ecclesiae legibus morem gerere, summumque huius in terris visibile caput, pontificem maximum agnoscere? An una uxore contentum, christianam vitam traducere: et similia, quae aut personae, aut loca postulant. Ex his iam facile erit, ad ea, quae supra contra memoratum *Noëmi* factum obiecta sunt, respondere. Nam:

¶ AD PRIMUM, bonum quidem esse, ex idololatræ exire loco, dum bene id fit, dum ad eum redeundi non est animus. Alioqui fixum ratumque manet illud (3): « Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. » Et illud *s. Augustini* (4): « Peius vivunt mali in sacramentis meis, quam qui ad illa nunquam accesserunt. »

¶ AD SECUNDUM. Quando *Noëmi* ad *Ruth* dixit (5): *Et reversa est cognata tua (nempe Orpha) ad populum suum* (id est, in regionem Moabitidem), *et ad Deos suos vade cum ea*, non iussit, *Rutham* ad Deos redire, sed tantum permisit: imo illud, *Vade cum ea*, refert *Abulensis* (6) tantummodo ad *populum*, non

(1) Ruth c. 1, v. 18 et 19.

(2) Loc. cit.

(3) S. Petri, II. Ep. c. 2, v. 21.

(4) In psalmum 50, conc. 2.

ad *Deos*, ita ut duntaxat sensus sit: *Vade cum ea ad populum tuum*. At etiamsi haec verba referantur ad *Deos*, non obest, dummodo permissivè verba ea sumantur, quemadmodum illa *Ioan.* 13, v. 27: *Quod facis, fac citius*. Permissionem vero hanc suam imperativis et suasoriis quodammodo verbis *Ruthae* proponit *Noëmi*, ut sic illius exploret accuratius animum et constantiam.

¶ AD TERTIUM. *Noëmi* dehortatione illa *Ruthae* et *Orphae* non eripuit occasionem sese convertendi ad Deum verum, sed ideo hasce suas nurus a peregrinatione in *Judaeam* repellebat, ut earum expiscaretur, ac intelligeret animum, ardorem et constantiam; atque hanc in *Ruth* dum vidit, lubens ac laeta bethlemiticam ei profectionem annuit: neque dehortatorium addidit verbum ullum amplius. In terram igitur eas sanctam, ait *Serarius*, adducere optabat *Noëmi*; sed si bonae constantisque mentis essent, idque indagare ipsa, et omnino, quantum fieri posset, introspicere satagebat.

COROLLARIUM. Quando *Noëmi* (7) ad *Ruth* et *Orpham* iterato dixit: *Revertimini, filiae meae, cur venitis mecum? Revertimini, filiae meae, et abite*, non positive iussit, ut in regionem Moabitidem redeant, sed solum ex urbanitate id eis liberum esse voluit, simulque eorum constantiam in bono proposito exploravit, quasi diceret: « Nolo, mea unius causa, e solo patrio, e domibus, a parentibus, ab amicis, et notis in alienam terram, ad alienos et ignotos emigretis; et pauperiem, liberorum orbitatem et alios casus, qui peregrinantibus et pauperibus

(5) Ruth c. 1, v. 15.

(6) Quaest. 17.

(7) In Ruth c. 1, v. 11 et 15.

comites esse solent, subire cogamini. Nolo etiam, mea solius causa religionem mutetis, ne forte malorum, quae iudaicam fidem amplexis, sed minus in ea constantibus, evenire solent, ignarae, et scandalum aliis, et vobis exitium, et mihi probrum creetis. » Ita, ut iam supra monui, *Abulensis*, *Serarius* et alii.

48. QUÆRES V. An *Noëmi* non peccarit, dando *Ruthae* ridiculum, paeneque leoninum consilium (*Ruth* 3, v. 4.), et ostendens eidem modum quaerendi matrimonii cum *Boozo* ineundo? Imò, nonne peccavit ipsa *Ruth* (*Ibidem* v. 7), exequendo hoc consilium, dum se noctu ad *Boozum*, id est, ad virum mulier solum sola, cubantem, iacentem, largioreque coena et potu hilariore, lauta et nuptiarum cupida contulit, et proxime applicavit? Antequam respondeam, observo, quod in hac quaestione solvenda ipsimet interpretes non unanimiter consentiant. *Lyranus* enim *Noëmi* graviter accusat, *Rutham* vero propter solam ignorantiam excusat. Similiter *Dionysius* hoc consilium *Noëmi*, et factum *Ruth* excusat, quasi parum honestum et illecebrum: imò ipse *s. Ambrosius* (1) videtur in eandem sententiam esse propensus. At contrarium sentiunt, et utramque (tam *Noëmi* quam *Rutham*) excusant *Theodoreus*, auctor operis imperfecti, *Abulensis*, *Serarius*, aliique interpretes communiter, tum quia illae hoc omni apparatu et illecebris de se adiaphoris, nec intrinsece malis non aliud quam legitimum matrimo-

nium intenderunt; tum quia tam *Booz* quam *Ruth* erant grandaevi, probatae, et castae vitae (2), ut eis de fornicatione non esset metuedum; tum ac praecipue, quia haec res dirigebatur a *Noëmi*, quae sapiens et pia erat matrona, ac magis a Deo, qui hoc coniugium contrahi volebat, ut ex eo nasceretur *Obed* (3), ex hoc *Isai*, ex *Isai David*, et ex eo *Christus*. Unde auctor oper. imperfecti (4) ait, *Ruth* hebraice idem esse quod *inspiratio*, eo quod inspirata a Deo hoc egerit. *Nisi*, inquit, *inspiratio Dei fuisset in Ruth*, non dixisset quae dixit, nec fecisset quae fecit. Nam aliis foeminis et viris hoc factum *Ruth* non est imitandum, quia, si communem et ordinarium hominum operandi modum spectemus, illud periculosum est, et ad fornicationem illiciens. Pergit auctor op. imperfecti: « Quid primum laudatur in ea (*Rutha*)? dilectio generis *Israël*? aut simplicitas? aut fides? Dilectio quidem generis *Israël*, quia sic desiderabat suscipere filios ex semine *Israël*, et una fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem juvenum potius appetiisset. Quoniam autem non lasciviae suae, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quam juvenilem aetatem. Simplicitas autem, quia ultronea sub pallium eius ingressa est, nec cogitavit ne forte sperneret eam, quasi vir iustus lascivam puellam, aut ne deluderet eam, et quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt

(1) Lib. 3 de fide c. 5.

(2) Ipse *Booz* scivit, *Rutham* esse foeminam insignis castimoniae et virtutis. Hinc (*Ruth* c. 3, v. 8 et 11) ad eam dixit: *Benedicta... es a Domino filia... quia non es secula juvenes pauperes, sive divites. Noli ergo metuere, sed quidquid di-*

xeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meae, mulierem te esse virtutis.

(3) *Ruth* c. 4, v. 21 et 22; item *Matth.* c. 1, et *Luc.* c. 3.

(4) In cap. 1 *Matth.*

multi: sed obaudiens facta socrus suae consilii fidenter credidit, quod prosperaturus fuerat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata. » At

49. OPPONES. Ipse s. *Ambrosius* loc. cit. de hoc facto *Ruth* ait, id non sine pudore et horrore posse legi: ergo *Ruth* non potest excusari. R. Hic s. pater hoc dicit quidem, si historia *Ruth* praecise secundum literam, et secundum depravatam communemque hominum morem, quo talia fieri solent, intelligantur; non autem si *Noëmi* et *Ruthae* dicta et gesta secundum finem bonum et rectum, secundum quem dicta et gesta sunt, aliasque circumstantias haud prohibitas considerentur. Verba enim s. patris loc. cit. sunt haec: « Historia (*Ruth*) simplex, sed alta mysteria. Aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum literam sensum torqueamus, prope quidem pudor et horror in verbo est, si ad commixtionis corporeae consuetudinem sententiam intellectumque referamus. Designabatur autem futurus ex iudaeis (ex quibus Christus secundum carnem), qui proximi sui, hoc est, populi mortui semen, doctrinae coelestis semine suscitaret. »

INSTABIS: Quando *Ruth* obsecuta consilio *Noëmi*, ad pedes *Booz*i dormientis adrepsit, eum rogavit (1), ut *expandere pallium suum super famulam suam*. Quid est hoc aliud, quam allicere ad fornicationem? R. Haec non fuit invitatio ad fornicandum, sed modesta, verecundaque petitio coniugii. Unde verba illa: *expande pallium tuum super famulam tuam*, paraphrasis chaldaica ita vertit: *Vocetur nomen tuum super*

(1) Ruth c. 3, v. 9.

(2) In eundem libri *Ruth* locum.

ancillam tuam, ad accipiendum me in uxorem. Erant nimirum verba illa, *expande pallium* etc. quoddam proverbium, quo *Ruth* implorat *Booz*i protectionem ac tutelam, non qualemcunque, sed maritalem, quae uxori a marito debetur. Apud iudaeos enim, cum sponsus sponsae fidem promittit, sponsus partem vestimenti sui solet imponere sponsae: quod *Vatablus*, *Serarius*, *Tirinus*, aliique interpretes (2) studiose observant. Itaque *Ruth* non procaciter et lascive se insinuavit in thorum dormientis, sed modeste, ac ingenue rei iustissimae desiderium ostendit. Cum enim pauperima esset, ac omnibus relictis exulatum venisset, et primi sui mariti *Mahalonis* iam defuncti semen per novum matrimonium cum illius propinquo initum resuscitandum esset; eius partes erant, ut coniugium cum *Boozo Mahalonis* propinquo et viro divite sibi procuraret. Etsi ergo hic artes intercesserint, ac lenocinia, nil aliud tamen praeter nuptias, secundum legem ineundas, spectabatur. Licitum autem est, ut docet s. *Thomas* (3), huiuscemodi quibusdam signis et honestis significationibus ad matrimonium ineundum invitare. Sed

INQUES: adiuncta et loci, et nocturni temporis etc. debuisse suspicionem periculi movere. R. *Noëmi*, ut iam supra indicavimus, tum aetatem grandaevam, tum *Ruthae* virtutem (4) et continentiam secum reputans, tuto sperare potuit, consilium suum honeste executioni dandum.

DICES: Saltem in eo peccarunt *Noëmi* et *Ruth*, quod illa suaserit, haec vero illius suasu matrimonium petierit cum *Boozo* ineundum; cum

(5) II, 2, q. 154, art. 4, et q. 169, art. 2.

(4) Ruth c. 3, v. 10 et 11.

tamen alius propinquior esset, qui iuxta legem (1) habebat ius ineundi matrimonium cum *Rutha*, ad resuscitandum semen defuncti *Mahalonis* primi *Ruthae* mariti. Cum enim *Ruth* a *Boozo* nuptias petiisset, iste ultro fassus est, esse alium propinquiorem, qui ius haberet eam ducendi, dicens (2): *Nec ubnuo me propinquum, sed est alius me propinquior*. Ad hanc replicam insignis interpres *Serarius* (3) respondet ac dicit hanc alterius maiorem propinquitatem tunc ignorasse *Rutham*, ipsamque fortassis *Noëmi*. Vel si eam sciebat haec, eius tamen haud memor erat: vel si erat praevidebat id quod comprobavit eventus (4), eam alterius illius propin-

(1) Deut. c. 23, v. 3, vide etiam *Bonfrerii*, comment. in hunc locum.

(2) Ruth c. 3, v. 12.

(3) In lib. Ruth c. 3, q. 9.

(4) Ruth c. 4, v. 6.

(5) *Voltairius*, quo spurciorem scripto-

qui vel durtiam vel fastum esse, ut etiamsi peteretur, recusaret tamen et aspernaretur pauperulae *Ruth* coniugium. Ita *Serarius*. Addi potest, quod *Noëmi* praeterea crediderit, illum alterum propinquum *Booz*i reverentia facillime inducendum, ut cederet iure suo.

COROLLARIUM. Expensa tota *Ruthae* et *Noëmi* historia, luculenter clarescit, ab eis omnia sapienter, temperanter, et ad leges honestatis hic dicta et gesta esse; quamvis carnalibus, si ad solam literam attendant, aliter appareat. Paucis: quemadmodum castis omnia casta, ita impudicis philosophis sunt omnia impudica (5).

rem vix apud ethnicos invenies, ludificat in *lexico philosophico*, art. *Ezechiel*, etiam verba communissima, quibus in libro Ruth c. 4, v. 13, res matrimonii indicatur.